

## CLAUDIEN

## LE RAPT DE PROSERPINE (1172 vers)

## PRAEFATIO I

P1\_1 v.1 Inventa secuit primus qui nave profundum,  
 2 et rudibus remis sollicitavit aquas,  
 3 qui dubiis ausus committere flatibus alnum,  
 4 quas natura negat, praebuit arte vias.  
 5 Tranquillis primum trepidus se credidit undis  
 6 litora securo tramite summa legens ;  
 7 mox longos temptare sinus et linquere terras  
 8 et leni coepit pandere vela Noto ;  
 9 ast ubi paulatim praeceps audacia crevit  
 10 cordaque languentem dedidicere metum,  
 11 jam vagus irrumpit pelagus caelumque secutus  
 12 Aegaeas hiemes Ioniumque domat.

## LIBER I

P1\_2 v.1 Inferni raptoris equos afflataque curru  
 2 sidera Taenario caligantesque profundae  
 3 Junonis thalamos audaci promere cantu  
 4 mens congesta jubet. Gressus removete, profani :  
 5 jam furor humanos nostro de pectore sensus  
 6 expulit et solum spirant praecordia Phoebum ;  
 7 jam mihi cernuntur trepidis delubra moveri  
 8 sedibus et claram dispergere limina lucem  
 9 adventum testata Dei ; jam magnus ab imis  
 10 auditur fremitus terris templumque remugit  
 11 Cecropium sanctasque faces extollit Eleusis.  
 12 Angues Triptolemi strident et squamea curvis  
 13 colla levant attrita jugis lapsuque sereno  
 14 erecti roseas tendunt ad carmina cristas.  
 15 Ecce procul ternis Hecate variata figuris  
 16 exoritur laetusque simul procedit Iacchus  
 17 crinali florens hedera, quem Parthica velat  
 18 tigris et auratos in nodum colligit ungues ;  
 19 ebria Maeoniis firmat vestigia thyrsis.  
 20 Di, quibus innumerum vacui famulantur Averni  
 21 vulgus iners, opibus quorum donatur avaris  
 22 quidquid in orbe perit, quos Styx liventibus ambit  
 23 interfusa vadis et quos fumantia torquens  
 24 aequora gurgitibus Phlegethon perlustrat anhelis,  
 25 vos, mihi sacrarum penetralia pandite rerum  
 26 et vestri secreta poli : qua lampade Ditem  
 27 flexit Amor, quo ducta ferox Proserpina raptu  
 28 possedit dotale Chaos, quantasque per oras  
 29 sollicito genetrix erraverit anxia cursu ;  
 30 unde datae populis fruges et glande relictas  
 31 cesserit inventis Dodonia quercus aristis.  
 32 Dux Erebi quondam tumidas exarsit in iras,  
 33 proelia moturus superis quod solus egeret  
 34 conubiis sterilesque diu consumeret annos,

35 impatiens nescire torum nullasque mariti  
 36 inlecebras nec dulce patris cognoscere nomen.  
 37 Jam quaecumque latent ferali monstra barathro  
 38 in turmas aciemque ruunt contraque Tonantem  
 39 conjurant Furiae, crinitaque sontibus hydrys  
 40 Tisiphone, quatiens infausto lumine pinum  
 41 armatos ad castra vocat pallentia Manes.  
 42 Paene reluctatis iterum pugnantia rebus  
 43 rupissent elementa fidem penitusque revulso  
 44 carcere laxatis pubes Titania vinclis  
 45 vidisset caeleste jubar rursusque cruentus  
 46 Aegaeon positis aucto de corpore nodis  
 47 obvia centeno vexasset fulmina motu,  
 48 sed Parcae vetuere minas orbique timentes  
 49 ante pedes soliumque ducis fudere severam  
 50 canitiem genibusque suas cum supplice fletu  
 51 admovere manus, quarum sub jure tenentur  
 52 omnia, quae seriem fatorum pollice ducunt  
 53 longaque ferratis evolvunt saecula pensis.  
 54 Prima fero Lachesis clamabat talia regi,  
 55 incultas dispersa comas : "O maxime noctis  
 56 arbiter umbrarumque potens, cui nostra laborant  
 57 stamina, qui finem cunctis et semina praebes  
 58 nascendique vices alterna morte rependis,  
 59 qui vitam letumque regis (nam quidquid ubique  
 60 gignit materies, hoc te donante creatur  
 61 debeturque tibi ; certis ambagibus aevi  
 62 rursus corporeos animae mittuntur in artus),  
 63 ne pete firmatas pacis dissolvere leges  
 64 quas dedimus nevitque colus, neu foedera fratrum  
 65 civili converte tuba. Cur impia tollis  
 66 signa ? Quid incestis aperis Titanibus auras ?  
 67 Posce Jovem : dabitur conjunx." Vix ille pepercit  
 68 erubuitque preces animusque relanguit atrox  
 69 quamvis indocilis flecti : ceu turbine rauco  
 70 cum gravis armatur Boreas glacieque nivali  
 71 hispidus et Getica concretus grandine pennas  
 72 flare cupit, pelagus silvas camposque sonoro  
 73 flamine rapturus ; si forte adversus aenos  
 74 Aeolus objecit postes, vanescit inanis  
 75 impetus et fractae redeunt in claustra procellae.  
 76 Tum Maia genitum, qui fervida dicta reportet,  
 77 imperat acciri. Cyllenius astitit ales  
 78 somniferam quatiens virgam tectusque galero.  
 79 Ipse rudi fultus solio nigraque verendus  
 80 majestate sedet ; squalent immania foedo  
 81 sceptris situ ; sublime caput maestissima nubes  
 82 asperat et durae riget inclementia formae.  
 83 Terrorem dolor augebat. Tunc talia celso  
 84 ore tonat (tremefacta silent dicente tyranno  
 85 atria ; latratum triplicem compescuit ingens  
 86 janitor et presso lacrimarum fonte resedit  
 87 Cocytos tacitisque Acheron obmutuit undis  
 88 et Phlegethontaeae requierunt murmura ripae) :  
 89 "Atlantis Tegeaeae nepos, commune profundis  
 90 et superis numen, qui fas per limen utrumque  
 91 solus habes gemoque facis commercia mundo,  
 92 i celer et proscinde Notos et jussa superbo

93 redde Jovi : tantumne tibi, saevissime frater,  
 94 in me juris erit ? Sic nobis noxia vires  
 95 cum caelo Fortuna tulit ? Num robur et arma  
 96 perdidimus, si rapta dies ? An forte jacentes  
 97 ignavosque putas, quod non Cyclopia tela  
 98 stringimus aut vanas tonitru deludimus auras ?  
 99 Nonne satis visum grati quod luminis expers  
 100 tertia supremae patior dispendia sortis  
 101 informesque plagas, cum te laetissimus ornet  
 102 Signifer et vario cingant splendore Triones,  
 103 sed thalamis etiam prohibes ? Nereia glauco  
 104 Neptunum gremio complectitur Amphitrite.  
 105 Te consanguineo recipit post fulmina fessum  
 106 Juno sinu. Quid enim narrem Latonia furta,  
 107 quid Cererem magnamque Themis ? Tibi tanta creandi  
 108 copia ; te felix natorum turba coronat.  
 109 Ast ego, deserta maerens inglorius aula,  
 110 implacidas nullo solabor pignore curas ?  
 111 Non adeo toleranda quies. Primordia testor  
 112 noctis et horrendae stagna intemerata paludis :  
 113 si dictis parere negas, patefacta ciebo  
 114 Tartara, Saturni veteres laxabo catenas,  
 115 obducam tenebris solem, compage soluta  
 116 lucidus umbroso miscebitur axis Averno."  
 117 Vix ea fatus erat, jam nuntius astra tenebat.  
 118 Audierat mandata pater secumque volutat  
 119 diversos ducens animos, quae tale sequatur  
 120 conjugium Stygiosque velit pro sole recessus.  
 121 Certa requirenti tandem sententia sedit.  
 122 Aetnaeae Cereri proles optata virebat  
 123 unica, nec tribuit subolem Lucina secundam  
 124 fessaque post primos haeserunt viscera partus ;  
 125 infecunda quidem ; sed cunctis altior exstat  
 126 matribus et numeri damnum Proserpina pensat.  
 127 Hanc fovet, hanc sequitur : vitulam non blandius ambit  
 128 torva parens, pedibus quae nondum proterit arva  
 129 nec nova lunatae curvavit germina frontis.  
 130 Jam vicina toro plenis adoleverat annis  
 131 virginitas, tenerum jam pronuba flamma pudorem  
 132 sollicitat mixtaque tremit formidine votum.  
 133 Personat aula procis : pariter pro virgine certant  
 134 Mars clipeo melior, Phoebus praestantior arcu.  
 135 Mars donat Rhodopen, Phoebus largitur Amyclas  
 136 et Delon Clariosque Lares. Hinc aemula Juno,  
 137 hinc poscit Latona nurum. Despexit utrumque  
 138 flava Ceres raptusque timens (heu caeca futuri !)  
 139 commendat Siculis furtim sua pignora terris  
 140 infidis laribus natam commisit alendam  
 141 aethera deseruit Siculasque relegat in oras,  
 142 ingenio confisa loci. Trinacria quondam  
 143 Italiae pars una fuit, sed pontus et aestus  
 144 mutavere situm. Rupit confinia Nereus  
 145 victor et abscissos interluit aequore montes,  
 146 parvaque cognatas prohibent discrimina terras.  
 147 Nunc illam socia ruptam tellure trisulcam  
 148 opposuit natura mari : caput inde Pachyni  
 149 respuit Ionias praetentis rupibus iras ;  
 150 hinc latrat Gaetula Thetis Lilybaeaeque pulsat

151 brachia consurgens ; hinc indignata teneri,  
152 concutit objectum rabies Tyrrhena Pelorum.  
153 In medio scopulis se porrigit Aetna perustis,  
154 Aetna Giganteos numquam tacitura triumphos,  
155 Enceladi bustum, qui saucia terga revinctus  
156 spirat inexhaustum flagranti vulnere sulphur  
157 et, quotiens detractat onus cervice rebelli  
158 in laevum dextrumque latus, tunc insula fundo  
159 vertitur et dubiae nutant cum moenibus urbes.  
160 Aetnaeos apices solo cognoscere visu,  
161 non aditu temptare licet. Pars cetera frondet  
162 arboribus ; teritur nullo cultore cacumen.  
163 Nunc movet indigenas nimbos piceaque gravatum  
164 foedat nube diem, nunc motibus astra lacessit  
165 terrificis damnisque suis incendia nutrit.  
166 Sed, quamvis nimio fervens exuberet aestu,  
167 scit nivibus servare fidem pariterque favillis :  
168 durescit glacies tanti segura vaporis,  
169 arcano defensa gelu fumoque fideli  
170 lambit contiguas innoxia flamma pruinas.  
171 Quae scopulos tormenta rotant ? Quae tanta cavernas  
172 vis glomerat ? Quo fonte ruit Vulcanius ignis ?  
173 Sive quod obicibus discurrens ventus opertis  
174 offenso rimosa furit per saxa meatu,  
175 dum scrutatur iter, libertatemque reposcens  
176 putria multivagis populatur flatibus antra ;  
177 seu mare sulphurei ductum per viscera montis  
178 oppressis ignescit aquis et pondera librat.  
179 Hic ubi servandum mater fidissima pignus  
180 abdidit, ad Phrygios tendit segura Penates  
181 turrigeramque petit Cybelen sinuosa draconum  
182 membra regens, volucris qui pervia nubila tractu  
183 signant et placidis humectant frena venenis :  
184 frontem crista tegit ; pingunt maculosa virentes  
185 terga notae ; rutilum squamis intermicat aurum.  
186 Nunc spiris Zephyros tranant, nunc arva volatu  
187 inferiore secant. Cano rota pulvere labens  
188 sulcatam fecundat humum : flavescit aristis  
189 orbita ; surgentes condunt vestigia fruges ;  
190 vestit iter comitata seges. Jam linquitur Aetna  
191 totaque decrescit refugio Trinacria visu.  
192 Heu quotiens praesaga mali violavit aborto  
193 rore genas, quotiens oculos ad tecta retorsit  
194 talia voce movens : "Salve, gratissima tellus,  
195 quam nos praetulimus caelo : tibi gaudia nostri  
196 sanguinis et caros uteri commendo labores.  
197 Praemia digna manent : nullos patiere ligones  
198 et nullo rigidi versabere vomeris ictu ;  
199 sponte tuus florebit ager ; cessante juvenco,  
200 ditior oblatas mirabitur incola messes."  
201 Sic ait et fulvis tetigit serpentibus Idam.  
202 Hic sedes augusta Deae templique colendi  
203 religiosa silex, densis quam pinus obumbrat  
204 frondibus, et nulla lucos agitante procella,  
205 stridula coniferis modulatur carmina ramis.  
206 Terribiles intus thiasi vesanaque mixto  
207 concentu delubra gemunt ; ululatibus Ide  
208 bacchatur ; timidas inclinant Gargara silvas.

209 Postquam visa Ceres, mugitum tympana frenant ;  
 210 conticuere chori ; Corybas non impulit ense ;  
 211 non buxus, non aera sonant blandasque leones  
 212 submisere jubas. Adytis gavis Cybele  
 213 exilit et pronas extendit ad oscula turres.  
 214 Viderat haec dudum summa speculatus ab arce  
 215 Juppiter ac Veneri mentis penetralia nudat :  
 216 "Curarum, Cytherea, tibi secreta fatebor.  
 217 Candida Tartareo nuptum Proserpina regi  
 218 jam pridem est decreta dari ; sic Atropos urget,  
 219 sic cecinit longaeva Themis. Nunc, matre remota,  
 220 rem peragi tempus. Fines invade Sicanos  
 221 et Cereris prolem patulis illudere campis,  
 222 crastina puniceos cum lux detexerit ortus,  
 223 coge tuis armata dolis, quibus urere cuncta,  
 224 me quoque saepe soles. Cur ultima regna quiescunt ?  
 225 Nulla sit immunis regio nullumque sub umbris  
 226 pectus inaccensum Veneri. Jam tristis Erinys  
 227 sentiat ardores ; Acheron Ditisque severi  
 228 ferrea lascivis mollescant corda sagittis."  
 229 Accelerat praecepta Venus jussuque parentis  
 230 Pallas et inflexo quae terret Maenala cornu  
 231 addunt se comites. Divino semita gressu  
 232 claruit, augurium qualis laturus iniquum  
 233 praepes sanguineo dilabitur igne cometes  
 234 prodigiale rubens : non illum navita tuto,  
 235 non impune vident populi, sed crine minaci  
 236 nuntiat aut ratibus ventos aut urbibus hostes.  
 237 Devenere locum, Cereris quo tecta nitebant  
 238 Cyclopum firmata manu : stant ardua ferro  
 239 moenia, ferrati postes immensaque neccit  
 240 claustra chalybs. Nullum tanto sudore Pyragmon  
 241 nec Steropes construxit opus ; non talibus umquam  
 242 spiravere Notis animae nec flumine tanto  
 243 incoctum maduit lassa cervice metallum.  
 244 Atria cingit ebur ; trabibus solidatur aenis  
 245 culmen et in celsas surgunt electra columnas.  
 246 Ipsa domum tenero mulcens Proserpina cantu  
 247 irrita texebat rediturae munera matri.  
 248 Hic elementorum seriem sedesque paternas  
 249 insignibat acu, veterem qua lege tumultum  
 250 discrevit Natura parens et semina justis  
 251 discessere locis : quidquid leve, fertur in altum ;  
 252 in medium graviora cadunt, incanduit aer ;  
 253 egit flamma polum ; fluxit mare ; terra pependit.  
 254 Nec color unus erat : stellas accendit in auro,  
 255 ostro fundit aquas. Attollit litora gemmis  
 256 filaque mentitos jam jam caelantia fluctus  
 257 arte tument. Credas illidi cautibus algam  
 258 et raucum bibulis inserpere murmur harenis.  
 259 Addit quinque plagas ; mediam subtegmine rubro  
 260 obsessam fervore notat ; squalebat inustus  
 261 limes et assiduo sitiebant stamina sole ;  
 262 vitales utrimque duas, quas mitis oberrat  
 263 temperies habitanda viris ; in fine supremo  
 264 torpentes traxit geminas brumaeque perenni  
 265 foedat et aeterno contristat frigore telas.  
 266 Nec non et patruum pingit sacraria Ditis

267 fatalesque sibi Manes. Nec defuit omen :  
 268 praescia nam subitis maduerunt fletibus ora.  
 269 Coeperat et vitreis summo jam margine texti  
 270 Oceanum sinuare vadis ; sed cardine verso  
 271 cernit adesse deas imperfectumque laborem  
 272 deserit et niveos infecit purpura vultus  
 273 per liquidas succensa genas castaeque pudoris  
 274 illuxere faces : non sic decus ardet eburnum  
 275 Lydia Sidonio quod femina tinxerit ostro.  
 276 Merserat unda diem ; sparso nox umida somno  
 277 languida caeruleis invexerat otia bigis,  
 278 jamque viam Pluto superas molitur ad auras  
 279 germani monitu. Torvos invisa jugales  
 280 Allecto temone ligat, qui pascua mandunt  
 281 Cocyti pratisque Erebi nigrantibus errant  
 282 stagnaque tranquillae potantes marcida Lethes  
 283 aegra soporatis spumant obliviam linguis :  
 284 Orphnaeus crudele micans Aethonque sagitta  
 285 ocior et Stygii sublimis gloria Nycteus  
 286 armenti Ditisque nota signatus Alastor.  
 287 Stabant ante fores juncti saevumque fremebant  
 288 crastina venturae spectantes gaudia praedae.

PRAEFATIO II

P2\_1 v.1 Otia sopitis ageret cum cantibus Orpheus  
 2 neglectumque diu deposuisset opus,  
 3 lugebant erepta sibi solatia Nymphae,  
 4 quaerebant dulces flumina maesta modos.  
 5 Saeva feris natura redit metuensque leonem  
 6 implorat citharae vacca tacentis opem ;  
 7 illius et duri flevere silentia montes  
 8 silvaeque Bistoniam saepe secuta chelym.  
 9 Sed postquam Inachiis Alcides missus ab Argis  
 10 Thracia pacifero contigit arva pede  
 11 diraque sanguinei vertit praesepia regis  
 12 et Diomedeos gramine pavit equos,  
 13 tunc patriae festo laetatus tempore vates  
 14 desuetae repetit fila canora lyrae  
 15 et resides levi modulatus pectine nervos  
 16 pollice festivo nobile duxit ebur.  
 17 Vix auditus erat : venti frenantur et undae,  
 18 pigrior astrictis torpuit Hebrus aquis,  
 19 porrexit Rhodope sitientes carmina rupes,  
 20 excussit gelidas pronior Ossa nives.  
 21 Ardua nudato descendit populus Haemo  
 22 et comitem quercum pinus amica trahit,  
 23 Cirrhaeasque dei quamvis despexerit artes,  
 24 Orpheis laurus vocibus acta venit.  
 25 Securum blandi leporem fovere Molossi  
 26 vicinumque lupo praebuit agna latus ;  
 27 concordem varia ludunt cum tigride dammae,  
 28 Massylam cervi non timere jubam.  
 29 Ille novercales stimulos actusque canebat  
 30 Herculis et forti monstra subacta manu ;  
 31 quod timidae matri pressos ostenderit angues

32 intrepidusque fero riserit ore puer.  
 33 "Te neque Dictaeas quatiens mugitibus urbes  
 34 taurus nec Stygii terruit ira canis,  
 35 non leo sidereos caeli rediturus ad axes,  
 36 non Erymanthei gloria montis aper.  
 37 Solvis Amazonios cinctus, Stymphalidas arcu  
 38 appetis, occiduo ducis ab orbe greges  
 39 tergeminique ducis numerosos deicis artus  
 40 et totiens uno victor ab hoste redis.  
 41 Non cadere Antaeo, non crescere profuit Hydrae,  
 42 nec cervam volucres eripere pedes ;  
 43 Caci flamma perit, rubuit Busiride Nilus,  
 44 prostratis maduit nubigenis Pholoe.  
 45 Te Libyci stupuere sinus, te maxima Tethys  
 46 horruit, imposito cum premerere polo :  
 47 firmior Herculea mundus cervice pependit,  
 48 lustrarunt umeros Phoebus et astra tuos."  
 49 Thracius haec vates. Sed tu Tirynthius alter,  
 50 Florentine, mihi : tu mea plectra moves  
 51 antraque Musarum longo torpentia somno  
 52 excutis et placidos ducis in orbe choros.

## LIBER II

P2\_2 v.1 Impulit Ionios praemisso lumine fluctus  
 2 nondum pura dies ; tremulis vibratur in undis  
 3 ardor et errantes ludunt per caerula flammae.  
 4 Jamque audax animi fidaeque oblita parentis  
 5 fraude Dionaea, riguos Proserpina saltus  
 6 (sic Parcae jussere) petit. Ter cardine verso  
 7 praesagum cecinere fores ; ter conscia fati  
 8 flebile terrificis gemuit mugitibus Aetna.  
 9 Nullis illa tamen monstris nulloque tenetur  
 10 prodigio ; comites gressum junxere sorores.  
 11 Prima dolo gaudens et tanti conscia voti  
 12 it Venus et raptus metitur corde futuros,  
 13 jam durum flexura Chaos, jam Dite subacto  
 14 ingenti famulos Manes ductura triumpho.  
 15 Illi multifidos crinis sinuatur in orbes  
 16 Idalia divisus acu ; sudata marito  
 17 fibula purpureos gemma suspendit amictus.  
 18 Candida Parrhasii post hanc regina Lycae  
 19 et Pandionias quae cuspide protegit arces,  
 20 utraque virgo, ruunt : haec tristibus aspera bellis,  
 21 haec metuenda feris. Tritonia casside fulva  
 22 caelatum Typhona gerit qui, summa peremptus,  
 23 ima parte viget, moriens et parte superstes ;  
 24 hastaque terribili surgens per nubila ferro  
 25 instar erat silvae ; tantum stridentia colla  
 26 Gorgonis obtentu pallae fulgentis inumbrat.  
 27 At Triviae lenis species et multus in ore  
 28 frater erat, Phoebique genas et lumina Phoebi  
 29 esse putes, solusque dabat discrimina sexus.  
 30 Bracchia nuda nitent ; levibus projecerat auris  
 31 indociles errare comas, arcuque remisso  
 32 otia nervus agit ; pendent post terga sagittae.  
 33 Crispatur gemino vestis Gortynia cinctu  
 34 poplite fusa tenus, motoque in stamine Delos  
 35 errat et aurato trahitur circumflua ponto.

36 Quas inter Cereris proles, nunc gloria matris,  
 37 mox dolor, aequali tendit per gramina passu,  
 38 nec membris nec honore minor, potuitque videri  
 39 Pallas, si clipeum ferret, si spicula, Phoebe.  
 40 Collectae tereti nodantur iaspide vestes.  
 41 Pectinis ingenio numquam felicior artis  
 42 contigit eventus ; nulli sic consona telae  
 43 fila nec in tantum veri duxere figuras.  
 44 Hic Hyperionio Solem de semine nasci  
 45 fecerat et pariter, forma sed dispare, Lunam,  
 46 aurorae noctisque duces ; Cunabula Tethys  
 47 praebet et infantes gremio solatur anhelos  
 48 caeruleusque sinus roseis radiatur alumnis.  
 49 Invalidum dextro portat Titana lacerto  
 50 nondum luce gravem nec pubescentibus alte  
 51 cristatum radiis : primo clementior aevo  
 52 fingitur et tenerum vagitu despuit ignem.  
 53 Laeva parte soror vitrei libamina potat  
 54 uberis et parvo signatur tempora cornu.  
 55 Tali luxuriat cultu. Comitantur euntem  
 56 Naides et socia stipant utrimque caterva,  
 57 quae fontes, Crinise, tuos et saxa rotantem  
 58 Pantagiam nomenque Gelan qui praebuit urbi  
 59 concelebrant, quas pigra vado Camerina palustri,  
 60 quas Arethusaei latices, quas advena nutrit  
 61 Alpheus ; Cyane totum supereminet agmen :  
 62 qualis Amazonidum peltis exsultat ademptis  
 63 pulchra cohors, quotiens Arcton populata virago  
 64 Hippolyte niveas ducit post proelia turmas,  
 65 seu flavos stravere Getas seu forte rigentem  
 66 Thermodontiaca Tanaim fregere securi ;  
 67 aut quales referunt Baccho sollemnia Nymphae  
 68 Maeoniae, quas Hermus alit, ripasque paternas  
 69 percurrunt auro madidae : laetatur in antro  
 70 amnis et undantem declinat prodigus urnam.  
 71 Viderat herboso sacrum de vertice vulgus  
 72 Aetna parens florum curvaque in valle sedentem  
 73 compellat Zephyrum : "Pater o gratissime veris,  
 74 qui mea lascivo regnas per prata meatu  
 75 semper et adsiduis inroras flatibus annum,  
 76 respice Nympharum coetus et celsa Tonantis  
 77 germina per nostros dignantia ludere campos.  
 78 Nunc adsis faveasque, precor ; nunc omnia fetu  
 79 pubescant virgulta velis, ut fertilis Hybla  
 80 invideat vincique suos non abnuat hortos.  
 81 Quidquid turiferis spirat Panchaia silvis,  
 82 quidquid odoratus longe blanditur Hydaspes,  
 83 quidquid ab extremis ales longaeva colonis  
 84 colligit, optato repetens exordia saeclo,  
 85 in venas disperge meas et flamine largo  
 86 rura fove : merear divino pollice carpi  
 87 et nostris cupiant ornari numina sertis."  
 88 Dixerat. Ille novo madidantes nectare pennas  
 89 concutit et glebas fecundo rore maritat ;  
 90 quaque volat, vernus sequitur rubor. Omnis in herbas  
 91 turgēt humus medioque patent convexa sereno.  
 92 Sanguineo splendore rosas, vaccinia nigro  
 93 inbuit et dulci violas ferrugine pingit.

94 Parthica quae tantis variantur cingula gemmis  
 95 regales vinctura sinus ? Quae vellera tantum  
 96 ditibus Assyrii spumis fuscantur aeni ?  
 97 Non tales volucer pandit Junonius alas,  
 98 nec sic innumeros arcu mutante colores  
 99 incipiens redimitur hiems, cum tramite flexo  
 100 semita discretis interviret umida nimbis.  
 101 Forma loci superat flores : curvata tumore  
 102 parvo planities et mollibus edita clivis  
 103 creverat in collem. Vivo de pumice fontes  
 104 roscida mobilibus lambebant gramina rivis,  
 105 silvaeque torrentes ramorum frigore soles  
 106 temperat et medio brumam sibi vindicat aestu :  
 107 apta fretis abies, bellis accommoda cornus,  
 108 quercus amica Jovi, tumulos tectura cupressus,  
 109 ilex plena favis, venturi nuntia laurus ;  
 110 fluctuat hic denso crispata cacumine buxus,  
 111 hic hederæ serpunt, hic pampinus induit ulmos.  
 112 Haud procul inde lacus (Pergum dixere Sicani)  
 113 panditur et nemorum frondoso margine cinctus  
 114 vicinis pallescit aquis ; admittit in altum  
 115 cernentes oculos et late pervius humor  
 116 ducit inoffensos liquido sub flumine visus  
 117 imaque perspicui prodit secreta profundi.  
 118 [Huc elapsa cohors gaudet per florida rura.]  
 119 Hortatur Cytherea legant : "Nunc ite, sorores,  
 120 dum matutinis praesudat solibus aer,  
 121 dum meus humectat flaventes Lucifer agros,  
 122 roranti praevectus equo." Sic fata, cruoris  
 123 carpit signa sui. Varios tum cetera saltus  
 124 invasere cohors. Credas examina fundi  
 125 Hyblaeum raptura thymum, cum cerea reges  
 126 castra movent fagique cava dimissus ab alvo  
 127 mellifer electis exercitus obstrepit herbis.  
 128 Pratorum spoliatur honos : haec lilia fuscis  
 129 intexit violis ; hanc mollis amaracus ornat ;  
 130 haec graditur stellata rosis, haec alba ligustris.  
 131 Te quoque, flebilibus maerens Hyacinthe figuris,  
 132 Narcissumque metunt : nunc inclita germina veris,  
 133 praestantes olim pueros. Tu natus Amyclis,  
 134 hunc Helicon genuit ; disci te perculit error,  
 135 hunc fontis decepit amor ; te fronte retusa  
 136 Delius, hunc fracta Cephisus harundine luget.  
 137 Aestuat ante alias avido fervore legendi  
 138 frugiferae spes una deae : nunc vimine texto  
 139 ridentes calathos spoliis agrestibus implet ;  
 140 nunc sociat flores seseque ignara coronat,  
 141 augurium fatale tori. Quin ipsa tubarum  
 142 armorumque potens dextram, qua fortia turbat  
 143 agmina, qua stabiles portas et moenia vellit,  
 144 jam levibus laxat studiis hastamque reponit,  
 145 insuetisque docet galeam mitescere sertis.  
 146 Ferratus lascivit apex horrorque recessit  
 147 Martius et cristae pacato fulgure vernant.  
 148 Nec quae Parthenium canibus scrutatur odorem  
 149 aspernata choros libertatemque comarum  
 150 injecta voluit tantum frenare corona.  
 151 Talia virgineo passim dum more geruntur,

152 ecce repens mugire fragor, conflagere tures,  
153 pronaque vibratis radicibus oppida verti.  
154 Causa latet; dubios agnovit sola tumultus  
155 diva Paphi mixtoque metu perterrita gaudet.  
156 Jamque per anfractus animarum rector opacos  
157 sub terris quaerebat iter gravibusque gementem  
158 Enceladum calcabat equis. Immania findunt  
159 membra rotae pressaque Gigas cervice laborat  
160 Sicaniam cum Dite ferens temptatque moveri  
161 debilis et fessis serpentibus impedit axem ;  
162 fumida sulphureo praelabatur orbita dorso.  
163 Ac velut occultus securum pergat in hostem  
164 miles et effossi subter fundamina campi  
165 transilit inclusos arcano limite muros  
166 turbaque deceptas victrix erumpit in arces,  
167 terrigenas imitata viros, sic tertius heres  
168 Saturni latebrosa vagis rimatur habenis  
169 devia fraternum cupiens exire sub orbem.  
170 Janua nulla patet : prohibebant undique rupes  
171 oppositae duraque deum compage tenebant.  
172 Non tulit ille moras indignatusque trabali  
173 saxa ferit sceptrum. Sicalae sonuere cavernae ;  
174 turbatur Lipare ; stupuit fornace relicta  
175 Mulciber et trepidus dejecit fulmina Cyclops.  
176 Audiit et si quem glacies Alpina coercet  
177 et qui te, Latiis nondum praecincte tropaeis  
178 Thybri, natat missamque Pado qui remigat alnum.  
179 Sic, cum Thessaliam scopulis inclusa teneret  
180 Peneo stagnante palus et mersa negaret  
181 arva coli, trifida Neptunus cuspide montes  
182 impulit adversos : tunc forti saucius ictu  
183 dissiluit gelido vertex Ossaes Olympo ;  
184 carceribus laxantur aquae factoque meatu  
185 redduntur fluviisque mari tellusque colonis.  
186 Postquam victa manu duros Trinacria nexus  
187 solvit et immenso late discessit hiatu,  
188 apparet subitus caelo timor : astra viarum  
189 mutavere fidem. Vetito se proluit Arctos  
190 aequare ; praecipitat pigrum formido Booten ;  
191 horruit Orion ; audito palluit Atlas  
192 hinnitu. Rutilos obscurat anhelitus axes  
193 discolor et longa solitos caligine pasci  
194 terruit orbis equos : pressis haesere lupatis  
195 attoniti meliore polo rursusque verendum  
196 in Chaos obliquo certant temone reverti.  
197 Mox, ubi pulsato senserunt verbera tergo  
198 et solem didicere pati, torrentius amne  
199 hiberno tortaque ruunt pernicious hasta :  
200 quantum non jaculum Parthi, non impetus Austri,  
201 non leve sollicitae mentis discurrit acumen.  
202 Sanguine frena calent ; corrumpit spiritus auras  
203 letifer ; infectae spumis vitiantur harenae.  
204 Diffugiunt Nymphae ; rapitur Proserpina curru  
205 imploratque Deas. Jam Gorgonis ora revelat  
206 Pallas et intento festinat Delia telo  
207 nec patruo cedunt : stimulat communis in arma  
208 virginitas crimenque feri raptoris acerbat.  
209 Ille velut stabuli decus armentique juvencam

210 cum leo possedit nudataque viscera fodit  
 211 unguibus et rabiem totos exegit in armos,  
 212 stat crassa turpis sanie nodosque jubarum  
 213 excutit et viles pastorum despicit iras.  
 214 "Ignavi domitor vulgi, deterrime fratrum",  
 215 Pallas ait, "quae te stimulis facibusque profanis  
 216 Eumenides movere tuae ? Cur sede relicta  
 217 audes Tartareis caelum incestare quadrigis ?  
 218 Sunt tibi deformes Dirae, sunt altera Lethes  
 219 numina, sunt tristes Furiae te conjuge dignae.  
 220 Fratris linque domos, alienam desere sortem,  
 221 nocte tua contentus abi ! Quid viva sepultis  
 222 admisces ? Nostrum quid proteris advena mundum ? "  
 223 Talia vociferans avidos transire minaci  
 224 cornipedes umbone ferit clipeique retardat  
 225 obice Gorgoneisque premens assibilat hydris  
 226 praetentaque operit crista. Libratur in ictum  
 227 fraxinus et nigros illuminat obvia currus  
 228 missaque paene foret, ni Juppiter aethere summo  
 229 pacificas rubri torsisset fulminis alas  
 230 confessus socerum : nimbis Hymenaeus hiulcis  
 231 intonat et testes firmant conubia flammae.  
 232 Invitae cessere deae. Compescuit arcum  
 233 cum gemitu talesque dedit Latonia voces :  
 234 "Sis memor o longumque vale ! Reverentia patris  
 235 obstitit auxilio, nec nos defendere contra  
 236 possumus : imperio vinci majore fatemur.  
 237 In te conjurat genitor populoque silenti  
 238 traderis, heu ! cupidus non aspectura sorores  
 239 aequalemque chorum. Quae te fortuna supernis  
 240 abstulit et tanto damnavit sidera luctu ?  
 241 Jam neque Partheniis innectere retia lustris  
 242 nec pharetras gestare libet. Securus ubique  
 243 spumet aper saevique fremant impune leones.  
 244 Te juga Taygeti, posito te Maenala flebunt  
 245 venatu maestoque diu lugebere Cyntho.  
 246 Delphica quin etiam fratris delubra tacebunt."  
 247 Interea volucris fertur Proserpina curru  
 248 caesariem diffusa Noto planctuque lacertos  
 249 verberat et questus ad nubila tendit inanes :  
 250 "Cur non torsisti manibus fabricata Cyclopum  
 251 in nos tela, pater ? Sic me crudelibus umbris  
 252 tradere, sic toto placuit depellere mundo ?  
 253 Nullane te flectit pietas nihilumne paternae  
 254 mentis inest ? Tantas quo crimine movimus iras ?  
 255 Non ego, cum rapido saeviret Phlegra tumultu,  
 256 signa deis adversa tuli ; nec robore nostro  
 257 Ossa pruinosa vexit glacialis Olympum.  
 258 Quod conata nefas aut cujus conscia culpa  
 259 exsul ad immanes Erebi detrudor hiatus ?  
 260 O fortunatas alii quascumque tulere  
 261 raptores : saltem communi sole fruuntur !  
 262 Sed mihi virginitas pariter caelumque negatur,  
 263 eripitur cum luce pudor terrisque relictis  
 264 servitum Stygio ducor captiva tyranno.  
 265 O male dilecti flores despectaque matris  
 266 consilia ! O Veneris deprensae serius artes !  
 267 Mater, io ! seu te Phrygiis in vallibus Idae

268 Mygdonio buxus circumsonat horrida cantu,  
 269 seu tu sanguineis ululantia Dindyma Gallis  
 270 incolis et strictos Curetum respicis enses,  
 271 exitio succurre meo, compesce furentem,  
 272 comprime ferales torvi praedonis habenas ! "  
 273 Talibus ille ferox dictis fletuque decoro  
 274 vincitur et primi suspiria sensit amoris.  
 275 Tunc ferrugineo lacrimas detergit amictu  
 276 et placida maestum solatur voce dolorem :  
 277 "Desine funestis animum, Proserpina, curis  
 278 et vano vexare metu : majora dabuntur  
 279 sceptris nec indigni taedas patiere mariti.  
 280 Ille ego Saturni proles, cui machina rerum  
 281 servit et immensum tendit per inane potestas.  
 282 Amissum ne crede diem : sunt altera nobis  
 283 sidera, sunt orbis alii, lumenque videbis  
 284 purius Elysiumque magis mirabere solem  
 285 cultoresque pios. Illic pretiosior aetas,  
 286 aurea progenies habitat, semperque tenemus  
 287 quod superi meruere semel. Nec mollia desunt  
 288 prata tibi ; Zephyris illic melioribus halant  
 289 perpetui flores, quos nec tua protulit Aetna.  
 290 Est etiam lucis arbor praedives opacis  
 291 fulgentes viridi ramos curvata metallo :  
 292 haec tibi sacra datur fortunatumque tenebis  
 293 autumnum et fulvis semper ditabere pomis.  
 294 Parva loquor : quidquid liquidus complectitur aer,  
 295 quidquid alit tellus, quidquid maris aequora verrunt,  
 296 quod fluvii volvunt, quod nutrivere paludes,  
 297 cuncta tuis pariter cedent animalia regnis  
 298 lunari subjecta globo, qui septimus auras  
 299 ambit et aeternis mortalia separat astris.  
 300 Sub tua purpurei venient vestigia reges  
 301 deposito luxu turba cum paupere mixti :  
 302 omnia mors aequat. Tu damnatura nocentes,  
 303 tu requiem latura piis, te iudice sontes  
 304 improba cogentur vitae commissa fateri.  
 305 Accipe Lethaeo famulas cum gurgite Parcas ;  
 306 sit fatum quodcumque voles." Haec fatus ovantes  
 307 exhortatur equos et Tartara mitior intrat.  
 308 Conveniunt animae, quantas violentior Auster  
 309 decutit arboribus frondes aut nubibus imbres  
 310 colligit aut frangit fluctus aut torquet harenas ;  
 311 cunctaque praecipiti stipantur saecula cursu  
 312 insignem visura nurum. Mox ipse serenus  
 313 ingreditur facili passus mollescere risu  
 314 dissimilisque sui. Dominis intransibus ingens  
 315 assurgit Phlegethon : flagrantibus hispida rivis  
 316 barba madet totoque fluunt incendia vultu.  
 317 Occurrunt propere lecta de plebe ministri :  
 318 pars altos revocant currus frenisque solutis  
 319 vertunt emeritos ad pascua nota jugales ;  
 320 pars aulaea tenent, alii praetexere ramis  
 321 limina et in thalamum cultas extollere vestes.  
 322 Reginam casto cinxerunt agmine matres  
 323 Elysiae teneroque levant sermone timores  
 324 et sparsos religant crines et vultibus addunt  
 325 flammea sollicitum praevelatura pudorem.

326 Pallida laetatur regio gentesque sepultae  
 327 luxuriant epulisque vacant genialibus umbrae :  
 328 grata coronati peragunt convivia Manes.  
 329 Rumpunt insoliti tenebrosa silentia cantus ;  
 330 sedantur gemitus. Erebi se sponte relaxat  
 331 squalor et aeternam patitur rarescere noctem.  
 332 Urna nec incertas versat Minoia sortes ;  
 333 verbera nulla sonant nulloque frementia luctu  
 334 impia dilatis respirant Tartara poenis.  
 335 Non rota suspensum praeceps Ixiona torquet,  
 336 non aqua Tantaleis subducitur invida labris :  
 337 solvitur Ixion et Tantalus invenit undas.  
 338 Et Tityos tandem spatiosos erigit artus  
 339 squalentisque novem detexit jugera campi :  
 340 tantus erat ! Laterisque piger sulcator opaci  
 341 invitus trahitur lasso de pectore vultur  
 342 abreptasque dolet jam non sibi crescere fibras.  
 343 Oblitae scelerum formidatique furoris  
 344 Eumenides cratera parant et vina feroci  
 345 crine bibunt flexisque minis jam lene canentes  
 346 extendunt socios ad pocula plena cerastas  
 347 et festas alio succendunt lumine taedas.  
 348 Tunc et pestiferi pacatum flumen Averni  
 349 innocuae transistis aves flatumque repressit  
 350 Amsanctus ; fixo tacuit torrente vorago.  
 351 Tunc Acheronteos mutato gurgite fontes  
 352 lacte novo tumuisse ferunt hederisque virentem  
 353 Coccyton dulci perhibent undasse Lyaeo.  
 354 Stamina nec rumpit Lachesis, nec turbida sacris  
 355 obstrepitant lamenta choris. Mors nulla vagatur  
 356 in terris, nullique rogam planxere parentes ;  
 357 navita non moritur fluctu, non cuspidem miles ;  
 358 oppida funerei pollent immunia leti.  
 359 Impexamque senex velavit harundine frontem  
 360 portitor et vacuos egit cum carmine remos.  
 361 Jam suus inferno processerat Hesperus orbi ;  
 362 ducitur in thalamum virgo. Stat pronuba juxta  
 363 stellantes Nox picta sinus tangensque cubile  
 364 omina perpetuo genitalia foedere sancit.  
 365 Exsultant cum voce pii Ditisque sub aula  
 366 talia pervigili sumunt exordia plausu :  
 367 "Nostra potens Juno tuque, o germane Tonantis  
 368 et gener, unanimi consortia discite somni  
 369 mutuaque alternis innectite colla lacertis.  
 370 Jam felix oritur proles, jam laeta futuros  
 371 exspectat Natura deos. Nova numina rebus  
 372 addite et optatos Cereri proferte nepotes."

## LIBER III

P3\_1 v.1 Juppiter interea cinctam Thaumantida nimbis  
 2 ire jubet totoque deos arcessere mundo.  
 3 Illa colorato Zephyros illapsa volatu  
 4 numina conclamat pelagi Nymphasque morantes  
 5 increpat et Fluvios humentibus evocat antris.  
 6 Ancipites trepidique ruunt, quae causa quietos

7 excierit, tanto quae res agitanda tumultu.  
8 Ut patuit stellata domus, considerare jussi,  
9 nec confusus honor : caelestibus ordine sedes  
10 prima datur ; tractum proceres tenuere secundum  
11 aequarei, placidus Nereus, et lucida Phorci  
12 canities ; Glaucum series extrema biforem  
13 accipit et certo mansurum Protea vultu.  
14 Nec non et senibus Fluviis concessa sedendi  
15 gloria ; plebeio stat cetera more juvenus,  
16 mille Amnes. Liquidis incumbunt patribus udae  
17 Naides et taciti mirantur sidera Fauni.  
18 Tum gravis ex alto genitor sic orsus Olympo :  
19 "Abduxere meas iterum mortalia curas,  
20 jam pridem neglecta mihi, Saturnia postquam  
21 otia et ignavi senium cognovimus aevi,  
22 sopitosque diu populos torpore paterno  
23 sollicitae placuit stimulis impellere vitae,  
24 incultis ne sponte seges grandesceret arvis,  
25 undaret neu silva favis, neu vina tumerent  
26 fontibus et totae fremerent in pocula ripae.  
27 Haud equidem invideo (neque enim livescere fas est  
28 vel nocuisse deos), sed quod dissuasor honesti  
29 luxus et humanas oblimat copia mentes,  
30 provocet ut segnes animos rerumque remotas  
31 ingeniosa vias paulatim exploret egestas  
32 utque artes pariat sollertia, nutriat usus.  
33 Nunc mihi cum magnis instat Natura querellis  
34 humanum relevare genus, durumque tyrannum  
35 immitemque vocat regnataque saecula patri  
36 commemorat parcumque Jovem se divite clamat,  
37 qui campos horrere situ dumisque repleri  
38 rura velim, nullis exornem fructibus annum ;  
39 se jam, quae genetrix mortalibus ante fuisset,  
40 in dirae subito mores transisse novercae.  
41 Quid mentem traxisse polo, quid profuit altum  
42 erexisse caput, pecudum si more pererrant  
43 avia, si frangunt communia pabula glandes ?  
44 Haecine vita juvat, silvestribus abdita lustris,  
45 indiscreta feris ? Tales cum saepe parentis  
46 pertulerim questus, tandem clementior orbi  
47 Chaonio statui gentes avertere victu.  
48 Atque ideo Cererem, quae nunc ignara malorum  
49 verberat Idaeos torva cum matre leones,  
50 per mare, per terras avido discurrere luctu  
51 decretum, natae donec laetata repertae  
52 indicio tribuat fruges currusque feratur  
53 nubibus ignotas populis sparsurus aristas  
54 et juga caerulei subeant Actaea dracones.  
55 Quod si quis Cereri raptorem prodere divum  
56 audeat, imperii molem pacemque profundam  
57 obtestor rerum, natus licet ille sororve  
58 vel conjunx fuerit natarumve agminis una,  
59 se licet illa meo conceptam vertice jactet,  
60 sentiet iratum procul aegide, sentiet ictum  
61 fulminis et genitum divina sorte pigebit  
62 optabitque mori. Tunc vulnere saucius ipsi  
63 tradetur genero, passurus prodita regna,  
64 et sciet an propriae conspirent Tartara causae.

65 Hoc sanctum ; mansura fluant hoc ordine fata."  
66 Dixit, et horrendo concussit sidera motu.  
67 At procul armisoni Cererem sub rupibus antri  
68 securam placidamque diu jam certa peracti  
69 terrebant simulacra mali noctesque timorem  
70 ingeminant, omnique perit Proserpina somno.  
71 Namque modo adversis invadi viscera telis,  
72 nunc sibi mutatas horret pallescere vestes,  
73 nunc steriles mediis frondere Penatibus ornos.  
74 Stabat praeterea luco dilectior omni  
75 laurus, virgineos quondam quae fronde pudica  
76 umbrabat thalamos. Hanc imo stipite caesam  
77 vidit et incomptos foedari pulvere ramos ;  
78 quaesivitque nefas ; Dryades dixere gementes  
79 Tartarea Furias debellavisse bipenni.  
80 Sed tunc ipsa, sui jam non ambagibus ullis  
81 nuntia materno facies ingesta sopori :  
82 namque videbatur tenebroso obtecta recessu  
83 carceris et saevis Proserpina vincta catenis,  
84 non qualem Siculis olim mandaverat arvis,  
85 non qualem roseis nuper convallibus Aetnae  
86 suspexere deae : squalebat pulchrior auro  
87 caesaries et nox oculorum infecerat ignes ;  
88 exhaustusque gelu pallet rubor, ille superbi  
89 flammeus oris honos, et non cessura pruinis  
90 membra colorantur picei caligine regni.  
91 Ergo hanc ut dubio vix tandem agnoscere visu  
92 evaluit : "Cujus tot poenae criminis ? " inquit ;  
93 "Unde haec informis macies ? Cui tanta potestas  
94 in me saevitiae ? Rigidi cur vincula ferri  
95 vix aptanda feris molles meruere lacerti ?  
96 Tu mea, tu, proles ? An vana fallimur umbra ? "  
97 Illa refert : "Heu dira parens nataeque peremptae  
98 immemor ! Heu fulvas animo transgressa leaenas !  
99 Tantane te nostri tenuere oblivia ? Tantum  
100 unica despicior ? Certe Proserpina nomen  
101 dulce tibi, tali quae nunc, ut cernor, hiatu  
102 suppliciiis inclusa terror. Tu saeva choreis  
103 indulges ! Phrygias vel nunc interstrepis urbes !  
104 Quod si non omnem repulisti pectore matrem,  
105 si tu, sancta Ceres, et non me Caspia Tigris  
106 edidit, his, oro, miseram defende cavernis  
107 inque superna refer. Prohibent si fata reverti,  
108 vel tantum visura veni." Sic fata trementes  
109 tendere conatur palmas. Vis improba ferri  
110 impedit et motae somnum solvere catenae.  
111 Obrigit visis ; gaudet non vera fuisse ;  
112 complexu caruisse dolet. Penetralibus amens  
113 prosilit et tali compellat voce Cybeben :  
114 "Jam non ulterius Phrygia tellure morabor,  
115 sancta parens ; revocat tandem custodia cari  
116 pignoris et cunctis objecti fraudibus anni.  
117 Nec mihi Cyclopum quamvis exstructa caminis  
118 culmina fida satis. Timeo ne fama latebras  
119 prodiderit leviusque meum Trinacria celet  
120 depositum. Terret nimium vulgata locorum  
121 nobilitas. Aliis sedes obscurior oris  
122 exquirenda mihi. Gemitu flammisque propinquis

123 Enceladi nequeunt umbracula nostra taceri.  
124 Somnia quin etiam variis infausta figuris  
125 saepe monent nullusque dies non triste minatur  
126 augurium. Quotiens flaventia sarta comarum  
127 sponte cadunt ! Quotiens exundat ab ubere sanguis !  
128 Larga vel invito prorumpunt flumina vultu  
129 injussaeque manus mirantia pectora tundunt.  
130 Si buxus inflare velim, ferale gemiscunt ;  
131 tympana si quatiam, planctus mihi tympana reddunt.  
132 Ah vereor ne quid portendant omina veri !  
133 Hae longae nocuere morae ! " "Procul irrita venti  
134 dicta ferant," subicit Cybele, "nec tanta Tonanti  
135 segnities ut non pro pignore fulmina mittat.  
136 I tamen, et nullo turbata revertere casu."  
137 Haec ubi, digreditur templis. Sed nulla ruenti  
138 mobilitas : tardos queritur non ire dracones  
139 immeritasque movens alterno verberare pennas  
140 Sicaniam quaerit cum nondum ascenderit Idam.  
141 Cuncta pavet speratque nihil. Sic aestuat ales  
142 quae teneros humili fetus commiserit orno  
143 allatura cibos, et plurima cogitat absens :  
144 ne gracilem ventus discussit arbore nidum,  
145 ne furtum pateat homini, ne praeda colubris.  
146 Ut domus excubiis incustodita remotis  
147 et resupinati neglecto cardine postes  
148 flebilis et tacitae species apparuit aulae,  
149 non exspectato respectu cladis amictus  
150 conscidit et fractas cum crine avellit aristas.  
151 Haeserunt lacrimae, nec vox aut spiritus oris  
152 redditur, atque imis vibrat timor ossa medullis.  
153 Succidui titubant gressus ; foribusque reclusis,  
154 dum vacuas sedes et desolata pererrat  
155 atria, semirutas confuso stamine telas  
156 atque interruptas agnoscit pectinis artes.  
157 Divinus perit ille labor, spatiumque relictum  
158 audax sacrilego supplebat aranea textu.  
159 Nec deflet plangitve malum : tantum oscula telae  
160 figit et abruptit mutas in fila querelas ;  
161 attritosque manu radios projectaque pensa  
162 cunctaque virgineo sparsa oblectamina ludo  
163 ceu natam pressat gremio ; castumque cubile  
164 desertosque toros et sicubi sederat olim  
165 perlegit : attonitus stabulo ceu pastor inani,  
166 cui pecus aut rabies Poenorum inopina leonum  
167 aut populatrices infestavere catervae ;  
168 serus at ille redit vastataque pascua lustrans  
169 non responsuros ciet imploratque juvencos.  
170 Atque ibi secreta tectorum in parte jacentem  
171 conspicit Electram natae quae sedula nutrix  
172 Oceani priscas inter notissima Nymphas.  
173 Par Cereri pietas : haec post cunabula dulci  
174 ferre sinu summoque Jovi deducere parvam  
175 sueverat et genibus ludentem aptare paternis ;  
176 haec comes, haec custos, haec proxima mater haberi.  
177 Tunc laceras effusa comas et pulvere canos  
178 sordida sidereae raptus lugebat alumnae.  
179 Hanc aggressa Ceres, postquam suspiria tandem  
180 laxavit frenosque dolor : "Quod cernimus", inquit,

181 "excidium ? Cui praeda feror ? Regnatne maritus  
 182 an caelum Titanes habent ? Quae talia vivo  
 183 ausa Tonante manus ? Rupitne Typhoea cervix  
 184 Inarimen ? Fractane jugi compage Vesevi  
 185 Alcyoneus Tyrrhena pedes per stagna cucurrit ?  
 186 An vicina mihi quassatis faucibus Aetna  
 187 protulit Enceladum ? Nostros an forte Penates  
 188 appetiit centum Briareia turba lacertis ?  
 189 Heu ubi nunc est nata mihi ? Quo mille ministrae ?  
 190 Quo Cyane ? Volucres quae vis Sirenas abegit ?  
 191 Haecine vestra fides ? Sic fas aliena tueri  
 192 pignora ? " Contremuit nutrix maerorque pudori  
 193 cedit et aspectus miserae non ferre parentis  
 194 emptum morte velit longumque immota moratur  
 195 auctorem dubium certumque expromere funus.  
 196 Vix tamen haec : "Acies utinam vesana Gigantum  
 197 hanc dederit cladem ! Levius communia tangunt.  
 198 Sed divae, multoque minus quod rere, sorores  
 199 in nostras nimium conjuravere ruinas.  
 200 Insidias Superum, cognatae vulnera cernis  
 201 invidiae. Phlegra nobis infensior aether !  
 202 Florebat tranquilla domus ; nec limina virgo  
 203 linquere nec virides audebat visere saltus,  
 204 praeceptis obstricta tuis. Telae labor illi,  
 205 Sirenes requies ; sermonum gratia mecum,  
 206 mecum somnus erat cautique per atria ludi,  
 207 cum subito (dubium est quonam monstrante latebras  
 208 rescierit) Cytherea venit suspectaque nobis  
 209 ne foret, hinc Phoeben comites, hinc Pallada junxit.  
 210 Protinus effuso laetam se fingere risu  
 211 nec semel amplecti nomenque iterare sororis  
 212 et dura de matre queri, quae tale recessu  
 213 maluerit damnare decus vetitamque dearum  
 214 colloquio patriis procul amandaverit astris.  
 215 Nostra rudis gaudere malis et nectare largo  
 216 instaurare dapes. Nunc arma habitumque Dianae  
 217 induitur digitisque attemptat mollibus arcum ;  
 218 nunc crinita jubis galeam, laudante Minerva,  
 219 implet et ingentem clipeum gestare laborat.  
 220 Prima Venus campos Aetnaeaeque rura maligno  
 221 ingerit afflatu. Vicinos callida flores  
 222 ingeminat meritumque loci velut inscia quaerit  
 223 nec credit quod bruma rosas innoxia servet,  
 224 quod gelidi rubeant alieno germine menses,  
 225 verna nec iratum timeant virgulta Booten.  
 226 Dum loca miratur, studio dum flagrat eundi,  
 227 persuadet. Teneris, heu, lubrica moribus aetas !  
 228 Quos ego nequidquam planctus, quas irrita fudi  
 229 ore preces ! Ruit illa tamen confisa sororum  
 230 praesidio ; famulae longo post ordine Nymphae.  
 231 Itur in aeterno vestitos gramine colles  
 232 et prima sub luce legunt, cum rore serenus  
 233 albet ager sparsosque bibunt violaria sucos.  
 234 Sed postquam medio sol altior institit axi,  
 235 ecce polum nox foeda rapit tremefactaque nutat  
 236 insula cornipedum strepitu pulsuque rotarum.  
 237 Nosse nec aurigam licuit, seu mortifer ille,  
 238 seu Mors ipsa fuit. Livor permanat in herbas,

239 deficiunt rivi ; squalent rubigine prata  
 240 et nihil afflatum vivit : pallere ligustra,  
 241 exspirare rosas, decrescere lilia vidi.  
 242 Ut rauco reduces tractu detorsit habenas,  
 243 nox sua prosequitur currum ; lux redditur orbi ;  
 244 Persephone nusquam. Voto rediere peracto  
 245 nec mansere deae. Mediis invenimus arvis  
 246 exanimem Cyanen : cervix redimita jacebat  
 247 et caligantes marcebant fronte coronae.  
 248 Aggredimur subito et casus scitamus eriles  
 249 (nam propior cladi steterat) : quis vultus equorum ?  
 250 Quis regat ? Illa nihil, tacito sed laesa veneno  
 251 solvitur in laticem : subrepat crinibus humor,  
 252 liquitur, in roremque pedes et brachia manant ;  
 253 nostraque mox lambit vestigia perspicuus fons.  
 254 Discedunt aliae ; rapidis Acheloides alis  
 255 sublatae Siculi latus obsedere Pelori  
 256 accensaeque malo jam non impune canoras  
 257 in pestem vertere lyras : vox blanda carinas  
 258 alligat ; audito frenantur carmine remi.  
 259 Sola domi luctu senium tractura relinquo."  
 260 Haeret adhuc suspensa Ceres et singula demens  
 261 ceu nondum transacta timet. Mox lumina torquens  
 262 vultu ad caelicolas furiato pectore fertur.  
 263 Arduus Hyrcana quatitur sic matre Niphates,  
 264 cujus Achaemenio regi ludibria natos  
 265 avexit tremebundus eques ; fremit illa marito  
 266 mobilior Zephyro totamque virentibus iram  
 267 dispergit maculis timidumque hausura profundo  
 268 ore virum vitreae tardatur imagine formae.  
 269 Haud aliter toto genetrix bacchatur Olympo :  
 270 "Reddite", vociferans, "non me vagus edidit amnis ;  
 271 non Dryadum de plebe sumus ; turrita Cybebe  
 272 me quoque Saturno genuit. Quo jura deorum,  
 273 quo leges cecidere poli ? Quid vivere recte  
 274 proderit ? En audet noti Cytherea pudoris  
 275 ostentare suos post Lemnia vincula vultus !  
 276 Hos animos bonus ille sopor castumque cubile  
 277 praebuit ? Amplexus hoc promeruerunt pudici ?  
 278 Nec mirum si turpe nihil post talia ducit !  
 279 Quid vos expertes thalami ? Tantumne relictus  
 280 virginitatis honos ? Tantum mutata voluntas ?  
 281 Jam Veneri junctae sociis raptoribus itis ?  
 282 O templis Scythiae atque hominem sitientibus aris  
 283 utraque digna coli ! Tanti quae causa furoris ?  
 284 Quam mea vel tenui dicto Proserpina laesit ?  
 285 Scilicet aut caris pepulit te, Delia, silvis,  
 286 aut tibi commissas rapuit, Tritonia, pugnas ?  
 287 An gravis eloquio ? Vestros an forte petebat  
 288 importuna choros ? Atqui Trinacria longe,  
 289 esset ne vobis oneri, deserta colebat.  
 290 Quid latuisse juvat ? Rabiem livoris acerbi  
 291 nulla potest placare quies." His increpat omnes  
 292 vocibus. Ast illae (prohibet sententia patris)  
 293 aut reticent aut nosse negant responsaque matri  
 294 dant lacrimas. Quid agat ? Rursus se victa remittit  
 295 inque humiles delecta preces : "Ignoscite, si quid  
 296 intumuit pietas, si quid flagrantius actum

297 quam miseros decuit. Supplex miserandaque vestris  
298 advolvor genibus. Liceat cognoscere sortem ;  
299 hoc tantum liceat certos habuisse dolores.  
300 Scire peto quae forma mali ; quamcumque dedistis  
301 fortunam, sit nota, feram fatumque putabo,  
302 non scelus. Aspectum precor indulgete parenti ;  
303 non repetam. Quaesita manu securus habeto,  
304 quisquis es ; affirmo praedam ; desiste vereri.  
305 Quod si nos aliquo praevenit foedere raptor,  
306 tu certe, Latona, refer ; confessa Diana  
307 forte tibi. Nosti quid sit Lucina, quis horror  
308 pro genitis et quantus amor, partusque tulisti  
309 tu geminos ; haec una mihi. Sic crine fruaris  
310 semper Apollineo, sic me felicior aevum  
311 mater agas." Largis tunc imbris ora madescunt.  
312 "Quid ? Tantum dignum fieri dignumque taceri ?  
313 Hei mihi, discedunt omnes ! Quid vana moraris  
314 ulterius ? Non bella palam caelestia sentis ?  
315 Quin potius natam pelago terrisque requiris ?  
316 Accingar lustrare diem, per devia rerum  
317 indefessa ferar. Nulla cessabitur hora,  
318 non requies, non somnus erit, dum pignus ademptum  
319 inveniam, gremio quamvis mergatur Hiberæ  
320 Tethyos et rubro jaceat vallata profundo.  
321 Non Rheni glacies, non me Rhipaea tenebunt  
322 frigora, non dubio Syrtis cunctabitur aestu.  
323 Stat finem penetrare Noti Boreaeque nivalem  
324 vestigare domum. Primo calcabitur Atlas  
325 occasu facibusque meis lucebit Hydaspes.  
326 Impius errantem videat per rura, per urbes  
327 Juppiter ; extincta satietur paelice Juno.  
328 Insultate mihi, caelo regnate superbi,  
329 ducite praeclarum Cereris de stirpe triumphum."  
330 Haec fatur notaeque jugis illabitur Aetnae  
331 noctivago taedas informatura labori.  
332 Lucus erat prope flumen Acin, quod candida praefert  
333 saepe mari pulchroque secat Galatea natatu,  
334 densus et innexis Aetnaea cacumina ramis  
335 qua licet usque tegens. Illic posuisse cruentam  
336 aegida captivamque Pater post proelia praedam  
337 advexisse datur. Phlegraeis silva superbit  
338 exuviis totumque nemus victoria vestit.  
339 Hic patuli rictus et prodigiosa Gigantum  
340 tergora dependent, et adhuc crudele minantur  
341 affixae truncis facies immaniaque ossa  
342 serpentum passim cumulibus exsanguibus albescent,  
343 et rigidae multo suspirant fulmine pelles.  
344 Nullaque non magni jactat se nominis arbor :  
345 Haec centumgemini strictos Aegaeonis enses  
346 curvata vix fronde levat ; viventibus illa  
347 exsultat Coei spoliis ; haec arma Mimantis  
348 sustinet ; hos onerat ramos exutus Ophion.  
349 Altior at cunctis abies umbrosa que late  
350 ipsius Enceladi fumantia gestat opima,  
351 summi terrigenum regis caderetque gravata  
352 pondere, ni lassam fulciret proxima quercus.  
353 Inde timor numenque loco, nemorisque senectæ  
354 parcitur, aetheriisque nefas nocuisse trophaeis.

355 Pascere nullus oves nec robora laedere Cyclops  
356 audet et ipse fugit sacra Polyphemus ab umbra.  
357 Non tamen hoc tardata Ceres : accenditur ultro  
358 religione loci vibratque infesta securim,  
359 ipsum etiam feritura Jovem. Succidere pinus  
360 haud magis enodes dubitat prosternere cedros ;  
361 exploratque obiens truncos rectique tenorem  
362 stipitis et certo pertemptat brachia nisu.  
363 Sic qui vecturus longinqua per aequora merces  
364 molitur tellure ratem vitamque procellis  
365 objectare parat, fagos metitur et alnos  
366 et varium rudibus silvis accommodat usum :  
367 quae longa est, tumidis praebebit cornua velis ;  
368 quae fortis, clavo potior ; quae lenta, favebit  
369 remigio ; stagni patiens, aptanda carinae.  
370 Tollebant geminae capita inviolata cupressus  
371 cespite vicino, quales non rupibus Idae  
372 miratur Simois, quales non divite ripa  
373 lambit Apollinei nemoris nutritor Orontes.  
374 Germanas adeo credas : sic frontibus aequis  
375 exstant et socio despectant vertice lucum.  
376 Hae placuere faces ; pernix invadit utramque  
377 cincta sinus, exserta manus, armata bipenni,  
378 alternasque ferit totisque obnixa trementes  
379 viribus impellit. Pariter traxere ruinam  
380 et pariter posuere comas campoque recumbunt ;  
381 Faunorum Dryadumque dolor ! Complectitur ambas,  
382 sicut erant, alteque levat retroque solutis  
383 crinibus ascendit fastigia montis anhelii  
384 exsuperatque aestus et nulli pervia saxa  
385 atque indignantes vestigia calcat harenas :  
386 Qualis pestiferas animare ad crimina taxos  
387 torva Megaera ruit, Cadmi seu moenia poscat  
388 sive Thyesteis properet saevire Mycenis ;  
389 dant tenebrae Manesque locum plantisque resultant  
390 Tartara ferratis, donec Phlegethontis in unda  
391 constitit et plenos exceperit lampade fluctus.  
392 Postquam perventum scopuli flagrantis in ora,  
393 protinus arsuras aversa fronte cupressus  
394 faucibus injecit mediis lateque cavernas  
395 textit et undantem flammaram obstruxit hiatus.  
396 Compresso mons igne tonat claususque laborat  
397 Mulciber : obducti nequeunt exire vapores.  
398 Coniferi micuere apices crevitque favillis  
399 Aetna novis ; strident admissis sulphure rami.  
400 Tum, ne deficerent tantis erroribus ignes,  
401 semper innocuos insopitosque manere  
402 jussit et arcano perfudit robora suco,  
403 quo Phaethon irrorat equos, quo Luna juvencos.  
404 Jamque soporiferas nocturna silentia terris  
405 explicuere vices ; laniato pectore longas  
406 inchoat illa vias, et sic ingressa profatur :  
407 "Non tales gestare tibi, Proserpina, taedas  
408 sperabam, sed vota mihi communia matrum,  
409 et thalami festaeque faces caeloque canendus  
410 ante oculos Hymenaeus erat. Sic numina fatis  
411 volvitur et nullo Lachesis discrimine saevit !  
412 Quam nuper sublimis eram quantisque procorum

413 cingebat studiis ! Quae non mihi pignus ob unum  
414 cedebat numerosa parens ? Tu prima voluptas,  
415 tu postrema mihi : per te fecunda videbar.  
416 O decus, o requies, o grata superbia matris,  
417 qua gessi florente deam, qua sospite nusquam  
418 inferior Junone fui ! Nunc squalida, vilis !  
419 Hoc placitum patri. Cur autem adscribimus ullum  
420 his lacrimis ? Ego te, fateor, crudelis ademi,  
421 quae te deserui solamque instantibus ultro  
422 hostibus exposui. Raucis secura fruebar  
423 nimirum thiasis et laeta sonantibus armis  
424 jungebam Phrygios, cum tu raperere, leones.  
425 Accipe quas merui poenas. En ora fatiscunt  
426 vulneribus grandesque rubent in pectore sulci !  
427 Immemor en uterus crebro contunditur ictu !  
428 Qua te parte poli, quo te sub cardine quaeram ?  
429 Quis monstrator erit ? Quae me vestigia ducent ?  
430 Quis currus ? Ferus ille quis est ? Terraene marisne  
431 incola ? Quae volucrum deprendam signa viarum ?  
432 Ibo, ibo quocumque pedes, quocumque jubebit  
433 casus. Sic Venerem quaerat deserta Dione.  
434 Efficietne labor ? Rursus te, nata, licebit  
435 amplecti ? Manet ille decor ? Manet ille genarum  
436 fulgor ? An infelix talem fortasse videbo  
437 qualis nocte venis, qualem per somnia vidi ? "  
438 Sic ait et prima gressus molitur ab Aetna ;  
439 exitiique reos flores ipsumque rapinae  
440 detestata locum, sequitur dispersa viarum  
441 indicia et pleno rimatur lumine campos  
442 inclinatque faces. Omnis madet orbita fletu ;  
443 Omnibus admugit. Quocumque it in aequore, fulvis  
444 adnatat umbra fretis extremaque lucis imago  
445 Italiam Libyamque ferit : clarescit Etruscum  
446 litus et accenso resplendent aequore Syrtes ;  
447 antra procul Scyllaea petit, canibusque reductis  
448 pars stupefacta silet, pars nondum exterrita latrat.